

Plaudit & Italiæ flos omnis, plaudit & ipsa
 Roma; novo ac plausu Tybridis unda sonat;
 Cui nempe & nostræ cum Musæ intexere fertum
 Frondis Hyantæ munere discuperent,
 Ah temere, ah frustra inceptum liquere laborem,
 Nec visa est tanto digna corolla viro.
 En tibi pollicitum, Marotti, carmen: at audax
 Tu cave me posthac talia dona roges,
 Ne mea Calliope frustra conata rubentes
 Ingenuo tingat sæpe rubore genas.

E L E G I A I I I .

AD RAYMUNDUM CUNICHIMUM

DE POEMATE A SE CONSCRIPTO, CUI TITULUS
 ECHO.

Qui cuncta ingenio naturæ arcana sagaci
 Scrutari, & doctis prodere carminibus
 Primores egit vatum, præstantia cætus
 Palladii, & cætus lumina Apollinei;
 Idem, quando imos summis adjungere gaudet
 Urereque admotis cuncta solet faculis,
 Idem laudis amor meme, Raymunde, coegit,
 Errantem in Pindi vertice laurigero,
 Venari, captamque istuc tibi mittere nostram,
 Quamquam erat agrestis, quamquam erat horridula,
 Nescio quam solis latitantem in rupibus Echo.
 Quamquam erat: haud etenim jam reor horridulam,
 Esse, nec agrestem nimium; quippe ipse lepore
 Quo potui, quem mi Phœbus habere dedit,

Omni